



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

§. III. Flagellatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](#)

credit: Bonitas, & nemo amat: Misericordia, & nemo sperat: Justitia, & nemo timet: Pulchritudo, & nemo aspicit. Sum lux, & pauci ad me sua lumina vertunt: sum dux, & vix est qui me sequitur: sum via, & omnes à me fugiunt: sum Rex regum, & pudet omnes mihi servire: sum vera & sine felle voluptas, & omnes me fastidiunt: sum facilis dare multa & magna roganti, & nemo me rogit. Si ergo, ô homo, post tot præsidia percas, non hoc defectus est bonitatis meæ, sed culpa voluntatis tuæ. Perditio tua ex te, ô homo. Ita est; sed & redemptio mea ex te, homo Deus. Scio quia ex me perditio mea: Tu enim, fili hominis,

Luc. 9.56

*non venisti animas perdere, sed salvare.* Perdo me, dum deserote. Ne ergo ego sim ut filius ille perditionis, qui se perdidit, dum te deseruit, adhærebo firmiter tuæ columnæ: sed ne ab illa avellarumquam, in jice tua hic vincula, & ita illa stringe, ut nullus illa solvat, nisi quæ solvit vincula corporis, mors. O sacra columna! Mihi adhærere tibi, bonum est. Tenebo te. Te nixus vincam quidquid me vel oppugnare audet, vel expugnare potest. Hanc tenens columnam, spero victoriam, & post victoriam in regno tuo columnæ constantiam, sic te prædicente, & promittente: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.*

Apoc. 3.

22.

§. III.

Flagellatur.

**I**sa. 57.1. **H**Orror & stupor, ubi estis? ô Justitia! averte oculos furoris tui, ne forte moriamur. O Misericordia, huc advola; salva nos, perimus. Nam inter flagella iustus perit, & non est qui recognitet. Obstupecite cœli super hoc. Qui in principio  
Isa. 1. cres-

creavit cœlum & terram, hic in terra, spectante  
cœlo, pro homine flagellatur, & adhuc ab homi-  
ne non amatur. O JESU! veneretur meum silen-  
tium, tuum supplicium. Non possum eloqui,  
quod tu voluisti perpeti. O Pater æterne! mori-  
tur Filius tuus inter manus peccatorum. Sed no-  
li irasci: quia *expedit nobis, ut unus moriatur homo pro*  
*populo, & non tota gens pereat..* O Pater æterne!  
miserere mei pereuntis, propter Filium pereun-  
tem. O Fili! *Pater misericordiarum*, miserere mei  
toties rei, & propter flagella tua, dimitte peccata  
mea. O Justitia! miserere, quia venit tempus  
miserendi. Clament è limbo captivi patres, è  
cœlo Angeli pacis amarè flentes, è terra homi-  
nes pereuntes: Miserere.

Ieaz. II. 9.

2. Cor. I.

## M E D I T A T I O II.

## §. I.

## ¶ Nudatur Christus.

HACTENUS in minoribus prælusimus: jam ven-  
tum est ad Triarios, jam velut signo dato  
totis concurrunt viribus hinc Christi amor, inde  
hominis furor. Jam inter misericordiam & Ju-  
stitiam, velut decretoriâ pugnâ decernetur de  
summa rei, quando in medio terræ, Dei & homi-  
num mediator stabit ad columnam vestibus nudus,  
funibus vinctus, flagellis cæsus.

I Tim. 2. 5

Pilatus importunâ Judaicę feritatis rabie coa-  
ctus, populi Christum ad crucem poscentis voci-  
ferationibus victus, metu civilis tumultū com-  
pulsus maluit summo cum flagitio violare Justi-  
tiam, quam tanto cum periculo propugnare In-  
nocentiam. Fateor, fecerat Pilatus, ut Christum  
liberaret, quidquid ferè potuit. non tamen quid-  
quid debuit; benignus in Christum, & simul offi-